



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

IV. An actio primò productiua & conseruatiua sit eadem numero.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Deum efficientem constituere; atqui potest: ergo non est de ratione principij efficientis actionem in se habere: ergo igitur ex eo, quod calorem efficiat non in se calefactionem recipit. Rationem à priori pulchrè reddit P. Soar. suprà: agere præcisè non est perfectio intrinseca agentis, neque aliquid dicit in illo, sed tantum dicit aliquid fluere, seu oriri ab illo, quod rectè intelligitur ex eo præcisè, quod operatio egrediatur à principio effectiuo, & ab illo essentialiter dependeat.

4 Obiiciunt aduersarij: Actione denominari principium actuum agens quem formalem effectum non posset præstare, si non inhaereret principio actiuo. Secundo non posse esse in alio subiecto, quia illud denominaret efficiens, forma enim essentialiter dat effectum formalem subiecto, cui inhaeret. Respondeo actionem non inhaerentem principio posse illud efficiens constituere, sicuti visio non inhaerens obiecto, illud visum denominat, & eadem actio in ipso sententia constituit terminum effectum, & dependentem ab hoc principio, & illi non inhaeret. Ad illud, quod dicitur de effectu formali, dixi sæpè effectum formalem nihil aliud esse, quam totum resultans ex subiecto, & forma, quod constituit actio, non cum hac denominatione agentis, sed passi, quia forma non subiicit subiecto, neque concreto, quod simul cum illa constituit denominationem illam, quam tribuit principio illius extrinseco, sic eadem entitas principio effectiuo, cui non inhaeret agens denominat, & passiuo, cui inest, passi denominationem tribuit.

5 Dico secundo. Actio non subiectatur in termino. Probo hanc conclusionem: terminus essentialiter dependet ab actione tanquam ab aliquo tenente se ex parte principij effectiuo, medio quo ab hoc recipit esse: ergo non potest intelligi prior natura ipsa actione: ergo non potest esse causa materialis. Si recurras ad mutuas prioritates in diuerso genere causæ jam doctrinam istam validis impugnationibus conculsam inuenies, quæ si illas adhuc sustinisset, hic necessariò rueret. Etiam si duplex entitas possit sibi mutuo esse causa in diuerso genere causæ, tamen eadem entitas non potest esse causa sui ipsius: ergo nulla entitas potest esse principium causalitatis sui ipsius: ergo non potest esse principium passiuum causalitatis ex vi cuius producit. Antecedens negabitur: Consequentiam probo: esse causam alicuius entitatis nihil aliud est, quam esse principium causalitatis, ex vi cuius producit, & idè dicitur ignis causa efficiens huius caloris, quia est principium causalitatis, ex vi cuius calor producit: ergo idem calor dicitur causa materialis, seu patiens ipsum calorem, si est principium passiuum causalitatis, ex vi cuius producit calor. Dices, disparem esse rationem, quia ignis distinguitur à calore, calor verò non distinguitur à se ipso, & idè ignis est causa caloris ex eo quod sit principium suæ causalitatis, & calor non est principium sui ipsius. Contrà: Intendo ego in te probare eundem terminum esse causam sui ipsius, & ad hoc te trahere absurdum: ergo petis principium dum asseris terminum non esse causam sui ipsius, etiam si sit principium suæ causalitatis. Vt ergo si actio productiua mei à me procederet tanquam à principio effectiuo, ego me ipsum actiue producerem: ergo si eadem entitas procederet à me ipso tanquam à principio passiuo, ego me ipsum passiue causarem.

6 Difficile aliquibus visum est explicare quomodo actio distincta à termino, & illi non inhaerens illum existentem constituat, quod difficilius reddit multorum loquutio asserentium actionem in genere causæ formalis constituere effectum: difficultatem propositam & loquutionem prædictam facile explicabo. Duo habet actio, (vt rem explicè, loquor de actione productiua caloris, idem de quacumque alia dicturus) calorem extrahere à potentia causæ, & illum existentem constituere: aliud ex calore existente, & ipsa actione constituere complexum quoddam, quod dicitur dependens, quod pro materiali includit calorem, & pro formali dependentiam, quam habet calor. Primum illud officium exercet in genere causæ efficientis, & non in genere causæ formalis, quod sic probo: causare in genere causæ formalis, est causare componendo, sed actio productiua caloris non componit entitatem caloris secundum se: ergo non causat illam in genere causæ formalis. Confirmatur: effectus causæ formalis non distinguitur secundum se totum à forma, quia forma est causa intrinseca in adæquatè

identificata cum effectu, sed calor secundum se totum distinguitur ab actione, ex vi cuius producit: ergo non dependet ab illo in genere causæ formalis, seu tanquam à forma, sed in genere causæ efficientis tanquam à causalitate adæquatè ab illa distincta: ergo rectè intelligitur causalitas actionis, seu actio vt causalitas sine inhaerentia actionis in termino, quia si ad aliquod causalitatis genus requiritur inhaerentia tatum est ad genus causæ formalis. Secundum munus videlicet constituere hoc concretum calor dependens, seu calor productus, præstat in genere causæ formalis, quia concretum hoc dicit duo, calorem & dependentiam, hanc tanquam formam, & illum veluti materiam, ex quibus coalescit, non tanquam compositum essentialiter constans materia, & forma, strictè sumptis, quia actio non est propriè forma sui termini, cum neque ex illo educatur, neque vniatur illi, quia tamen illi denominationem tribuit dependentis, & verè illum dependentem constituit aliquo modo illius forma dicitur, sicuti visio dicitur forma concreti visum quamvis subiecto, quod denominat sit nimis extrinseca.

Dico tertio. Actioeductiua subiectatur in passio seu in subiecto, quod terminum ex vi illius productum recipit. Id tradunt Aristotelis verba toties repetita: *Actus huius in hoc*: id colligitur ex conclusionibus præcedentibus à sufficienti partium enumeratione, quia si actio non recipitur in principio effectiuo, neque in termino, tantum illi restat subiectum in quo terminus recipitur. Efficacius eandem conclusionem suadet identitas actionis cum passione, & ratio à priori quam expono, rem ostendit. Actioeductiua constituit terminum dependentem à subiecto, & est id, medio quo subiectum recipit terminum: ergo debet ipsa recipi in eodem subiecto, non enim alio modo recipitur causalitas, ex vi cuius producit. Confirmatur: implicat effectus dependere in genere causæ efficientis ab aliquo principio, quæ ab eodem principio in eodem genere non dependeat: ergo implicat dependere in genere causæ materialis ab aliqua causa medià causalitate, quæ ab eadem causa in eodem genere causæ materialis non dependeat: ergo implicat calorem dependere à ligno tanquam à subiecto medià passione identificata cum actione, quin passio, seu actio dependeat ab eodem ligno tanquam à causa materiali, & in illo subiectetur. Primum antecedens de causalitate principij effectiuo nullus negat: consequentia est optima desumpta à paritate, quam fundat in vtraque causi ratio à priori, quam modò adduxi ad hanc conclusionem probandam.

#### PUNCTUM IV.

An actio primò productiua, & conseruatiua sit eadem numero?

Nonnulli apud Patrem Lessium de perfectionibus diuinis lib. 10. cap. 4. quos ipse non expresso nomine refert, sensere creaturas minori concursu indigere vt conseruentur, quam vt primò producantur, qui in ipsa entitate virtutem, quamdam confingebant, qua se ipsas conseruent cum solo concursu generali causæ primæ, sicuti cum eodem concursu entitates alias eiusdem rationis producant. Contra hunc dicendi modum, doctè & eruditè agit Lessius suprà: eundem efficaciter impugnat Arriaga disp. 9. sect. 9. Ego tamen in illo refellendo non immoror, quia nihil in illo, neque impugnatione dignum inuenio, & illius falsitas ex dicendis pro communi sententia clarè constabit, & per se omni probabilitate alienum apparet rem creatam habere virtutem aliquam conseruandi se, neque in bonum sensum explicari potest hanc virtutem reduci ad actum concursu generali causæ primæ. Quia si hoc significet conseruationem esse actionem prouenientem physicè ab entitate conseruata & à Deo tanquam à causa prima omni probabilitate caret, quia dici nequit entitatem esse principium actionis terminatæ ad se ipsam. Eadem enim est difficultas de actione conseruatiua, & de prima productiua, ad vtramque enim debet supponi existens principium, à quo fluit antequam intelligatur actio procedens ab illo quod fieri non potest, quia omne ens creatum principium habet à quo procedit in illo instanti, in quo existit, siue in primo, in quo producit, siue in secundo, in quo conseruatur. Si dicant conseruatiua

cursum illum generalem causæ primæ esse actionem prouenientem tantum à Deo, illa actio non erit concursus ille generalis, quem Deus exhibuit cum causa secunda ad primam rei productionem, quia concursus, quem tunc Deus exhibuit per se ipsum dependebat à causa prima, & à causa secunda, & implicat (causa secunda amota) illum permanere. De his satis, pergo ad alia.

Statui Controu. 10. punct. 1. omnes effectus dependere in conseruari Deo, procedit modò difficultas an dependant in conseruari per eandem actionem; per quam in primo instanti suæ productionis fuerunt primò producti. Sunt aliqui effectus, quos dicimus dependere in conseruari à causis secundis quia illis ablatis illico deficit effectus, tales sunt species impressæ, quas mittunt obiecta potentie visuæ, lux à Sole producta: Alij sunt effectus, qui dicuntur non dependere à causis secundis in conseruari, quia etiam si causæ secundæ de medio tollantur adhuc effectus subsistentes perseverant. De omnibus quid dicendum sit breuiter aperiam.

Dicendum est contra Henr. Aur. & Greg. apud Soar in Met. disp. 21. sect. 1. cum eodem P. Soar. ibid. Vasquez 1. part. disp. 72. num. 1. Molin. 1. p. 10. art. 5. disp. 1. Hurtad. disp. 1. de generat. sect. 6. num. 73. Arriag. disp. 9. sect. 6. sub. sect. 3. num. 88. & alijs plurimis apud eundem Soar actionem conseruatiam esse eandem numero cum primò productiua, quotiescumque causâ producens & conseruans est eadem. Probo hanc conclusionem: actio, ex vi cuius producitur hæc entitas in primo instanti, quo incipit existeri, potest in secundo instanti permanere: ergo necessum non est actiones sue fundamento multiplicari. Antecedens probo. Idem est principium ex parte actus primi (in hac enim suppositione procedit questio) idem terminus, & reliquæ omnes conditiones requisitæ ex parte causæ: ergo poterit esse & necessariò erit eadem actio, quia omnibus ex parte actus primi eodem modo se habentibus nihil prohibet actum secundum omnino esse eundem. Confirmatur actio conseruatia, etsi fingatur omnino distincta à primò productiua non solum existit in instanti immediato primæ productioni, in quo incipit esse, sed etiam in vltioribus: ergo eodem modo potest perseverare actio, ex vi cuius effectus existit in primo instanti, in quo existeri incipit. Hæc conclusio ex postea tradenda n. s. clarius constabit.

Dicendum est secundò, ablata causâ secundâ adæquatâ, vel inadæquatâ effectum non posse conseruari ex vi actionis, quâ primò fuit productus. Probo facili: actio quâ fuit primò effectus productus dependebat per se & essentialiter à causa prima, & causa secunda: ergo implicat existeri illam actionem sine causa prima secunda: ergo quacumque ablata necessariò deficit illa actio. Rem declaro: Ablata igne producente in hoc instanti calorem auferatur id, à quo dependet actio procedens ab igne: ergo auferatur actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, sed actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, & ex vi cuius procedebat à Deo, erat eademmet indiuisibilis cum actione, ex vi cuius procedebat ab igne ut probauit Contr. 10. ergo deficiente actione, ex vi cuius procedebat calor ab igne deficit actio ex vi cuius procedebat à Deo.

Dicendum est tertio, causam conseruantem in hoc secundo instanti effectum ab illa productum illum conseruare ex vi eiusdem actionis, quâ eademmet causa eundem effectum produceret, si illum primò produxisset, & non posse minori influxu illum conseruare, quam esset ille, quo eundem primò produceret. Probo hanc conclusionem: effectum præcessisse in instanti antecedenti, vel non præcessisse physicè in hoc instanti nihil potest influere, quia in ordine physico id, quod præcessit perinde est ac si nunquam fuisset: ergo idem influxus requiritur ex parte causæ ad effectum existentem in hoc instanti, siue præcesserit in instanti antecedenti, siue non præcesserit: ergo idem influxus, qui modo dicitur conseruatio, quia entitas in instanti antecedenti existit, esset prima productio, si in instanti præcedenti idem effectus non existeret. Confirmatur: dependentia oritur ex entitate effectus intrinsecè limitata, & indigente principio à quo habeat esse: sed idem est effectus cum eadem limitatione in hoc instanti siue præcesserit in instanti antecedenti, siue non præcesserit: ergo eandem habet dependentiam influxus in vtroque instanti: ergo in vtroque erit illi necessarius influxus æquè validus, ut ex vi illius subsistere possit. Dixi

Franc. de Ouedo, Philosoph. tom. I.

æqualem influxum requiri ad producendum, & ad conseruandum effectum, quod de influxu in actu secundo absolute absque vlla limitatione intellige, de virtute verò in actu primo intelligendum est non absolute, sed per se loquendo. Rationem prius huius posterioris partis accipe. In instanti, in quo qualitas habens contrariū: verbi grati, frigiditas in subiecto conseruatur, conseruatio fit absque vlla resistentia formali, nihil enim existit in subiecto, in quo conseruatur frigiditas, aut immediatè existerit, ratione cuius qualitas illa contra resistentiam formalem conseruatur, quando verò primò produciuntur, & expellitur calor, productio illa est contra resistentiam formalem caloris expulsi, qui immediatè existerit in instanti antecedenti, & in illo resistit ne nunc introduceretur frigiditas, cuius resistentia vincitur in instanti, in quo frigiditas produciuntur, & ita maior virtus, seu conatus ex parte actus primi requiritur ad eundem effectum ex vi eiusdem actionis producendum ratione contrarij resistentis, quam ad illum conseruandum, quod si nullus calor expellendus præcessisset ex parte subiecti, non maior virtus esset requisita ad frigiditatem producendam quam ad illam conseruandam. Hæc de virtute in actu primo, nunc de influxu in actu secundo. Influxus in actu secundo, seu actio siue ab sit, siue ad sit contraria forma, eiusdem omnino rationis requiritur ad producendum, quam ad conseruandum, si curi omnino eadem est actio, ex vi cuius producitur frigiditas, resistente calore, & illo non resistente. Ratio est, quia effectus producendus intrinsecè semper est idem siue ab sit, siue ad sit forma intrinseca, & entitas actionis tantum respicit entitatem intrinsecam effectus ad quam primariò terminatur, & quælibet actio productiua octau gradus frigiditatis æquè expellet primum calorem, si detur existens, ad hoc autem ut detur, non requiritur ex parte actionis virtus aliqua operatiua, sed tantum pura illius non repugnantia, quâ posita illam efficientis virtus exerceat, cui incumbit proprio conatu vincere qualitatem contrariam ponendo in rerum natura actionem, ex vi cuius produciuntur frigiditas, in qua non resistentia: sed victoria, seu effectus resistentiæ consistit. De hoc latè in Generatione Contr. 5. de resistentia.

Dixi permanere eandem actionem quotiescumque est eadem causa conseruans & producens. Dicendum est modò quando sit eadem causa, quæ conseruat, & quæ producit: eandem esse causam conseruantem, & producentem effectus, quos dicimus dependere in conseruari à suis causis, sicuti dependet lux à Sole & species impressa ab obiecto: consentiunt omnes, & experientia ipsa demonstrat, quia cum primò remouetur causa primò producens lucem, corrumpitur lux: ergo existentia lucis etiam in conseruari dependebat à causa primò producente, alijs hæc semota lux eadè conseruaretur. In assignanda ratione, cur aliqui effectus dependant in conseruari à causa prima producente, & non alijs, multus est Soar supra n. r. apud quem nihil inuenio, quod rem adæquatè explicet, & ita de qualitatibus ab actionibus distinctis nullam aliam rationem existimo posse assignari præter experientiam, quâ videmus aliquas entitates ut primum remouetur causa illarum productiua statim perire. Bene tamen notat Soar nullâ substantiâ huiusmodi dependentiam in conseruari habere à causa primò producente, neque qualitatem aliquam dispositiuâ ad formam, quod experientia monstrat. Verumtamè ex qualitatibus, quæ ad formam non disponunt inuenio lucem dependentem in conseruari à sua causa, & impulsu non dependentem, species impressæ potentie visuæ dependentes in conseruari ab obiecto, & species impressas intellectus productas ab actibus, qui modò non sunt, quæ in conseruari ab illis non dependent, inter quas qualitates nulla poterit disparitatis ratio à priori reddi, sed necessariò recurrendū est ad intrinsecam illarum naturam nobis experientiâ notam. Docet etiam Soar nullum effectum dependere in conseruari à causa vniuoca, quod sine examinare, non est omnino admittendum: dicam quid sentio. Dependens, quâ in conseruari habet effectus à causa secunda proximè vel remotè tendentem reducenda est ad causam æquiuocâ, & numquâ potest esse determinata à causa vniuoca, quâ necessariò exigit, sed saltem debet esse exigetia effectus respectu causæ secundæ conseruantis, vniuocæ, vel æquiuocæ sub disunctione. Vtrumque clarè probo. Do lucem dependentem in conseruari ab alia luce vniuoca, lux illa vniuoca conseruans eo ipso quod est vniuoca cum effectu debet

A a 2 habere

habere eadem prædicata essentialia, quæ habet effectus, sed effectus dependet in conservari à causa creata: ergo & lux conservans: de hac ego luce conservante inquiri, an conservetur à causa vniuoca, vel æquiouoca: si ab æquiouoca habeo intentum, si ab vniuoca, hæc etiam dependebit ab alia causa secunda in conservari, & sic in infinitum abibimus, si aliquam causam æquiouocam non assignemus: ergo vltimò veniendum est ad causam æquiouocam. Secunda pars conclusionis ex prima legitime inferitur: effectus ille immediatè conservatus à causa æquiouoca naturaliter conservatur ab alia: ergo non petit necessariò conservari à causa vniuoca, sed maximum, quod potest exigere est conservari à causa vniuoca vel æquiouoca, effectus ille conservatus à causa æquiouoca, & conservans alium vniuocum est eiusdem rationis cum hoc vniuoco, quem conservat: ergo effectus iste conservatus à causa vniuoca habet eandem naturam cum causa, sed causa non petit determinatè conservari à causa vniuoca, sed de facto conservatur ab æquiouoca: ergo neque hic effectus necessariò exigit conservari à causa vniuoca, sed saltem potest conservari ab æquiouoca, etiam si ab vniuoca æquè primò conservetur.

7 Restat modò inquirere an effectus, qui dependet in conservari à causa secunda necessariò immediatè conservationem exigat à causa æquiouoca, ita vt non possit immediatè adequatè conservari à causa secunda. Sentio questionem hanc certo definiri non posse, quia experientia, quæ harum rerum magistra est, nihil nos potest in hac re docere, quod rursusque enim existit lux, non solum est applicata lux alia, à qua possit conservari, sed etiam luminosum conservans lucem aliam, media qua applicatur toti luci existenti, & illam de facto conservat: ergo non possumus experientia doceri, an hæc lux sufficienter possit conservari ab alia luce, si luminosum præcipuum neutiquam ad illius conservationem conducere. Nihilominus probabilius esse censeo qualitates dependentes in conservari à causis secundis ex sua natura non exigere immediatam conservationem à causa æquiouoca, sed ex se posse conservari adequatè ab vniuoca, & ita de facto conservandam si possit vniuoca sine æquiouoca applicari. Pono casum, qui rem explicet. Affirmo casu, quo Deus corrumpere luminosum, & conservaret miraculosè sex gradus lucis in hac parte aeris, hos naturaliter producturos, & conservaturos in parte immediata aeris gradus alios lucis, qui à causa vniuoca naturaliter conservarentur. Idem dico casu, quo luminosum conservaret lucem sibi propinquam, & Deus illi concursum subtraheret, vt remotiorem conservaret, quæ adequatè conservaretur à luce conservata à luminoso. Moeor ad hanc conclusionem, quia cum lux virtutem habeat producendi & conservandi lucem aliam, & lux producenda, & conservanda non sit illa perfectior, sed essentialiter æquè perfecta, & intensius remissior, fundamentum non est ad asserendum virtutem lucis ex se sufficientem non esse ad lucem aliam producendam, & durum videtur intensissimam lucem à Deo miraculosè productam, neque minimam gradum lucis posse produci cum generali concursu Dei, quem si potest producere, potiori iure conservare poterit. Fortiorem aliam rationem non inuenio, quam libenter à quocumque discerem.

8 De effectibus, quos dicimus non dependere in conservari à suis causis, sicuti calor, frigiditas & alia huiusmodi qualitates procedit dubium, an ab illis conserventur, dum causa, quæ illos produxit applicata perseverat, vel an tantum dependant à causa primò producente in primo instanti, in quo existere incipiunt, & in secundo dependant tantum à Deo, etiam si permaneat causa producens cum eadem applicatione, quam habuit in primo instanti. Parum philosophicè existimo, sentire, qui dicunt hos effectus tantum dependere à causis in primo instanti, in quo producuntur etiam si hæc in secundo eandem applicationem habeant, contra quos pro opposita sententia sic arguor. Si causa, verbè gratia, ignis ligno applicatus, in instanti præcedenti non produxisset calorem, illum produceret in hoc instanti, & actio terminata ad calorem in hoc instanti ab igne dimanaret: ergo eadem actio dimanat ab illo in hoc instanti, etiam si in antecedenti calorem produxerit, quia id, quod in instanti præcedenti fuit, & modo iam non est respectu huius instantis perinde se habet ac si nunquam fuisset. Confirmatur: in secundo instanti est eadem virtus ex parte principij effectiui, & passivi, & eadem capacitas ex parte termini: ergo in primo instanti ac in se-

cundo erit eadem actio: ergo erit in hoc instanti actio ab hoc igne, quæ in præcedenti fuit ab eodem principio: ergo idem ignis, qui antea calorem produxit, modo eundem conservat. Dices virtutem ignis esse ad producendum, & non conservandum calorem. Contra: calor primò productus, & conservatus intrinsecè, & secundum suam euitatem omnino est idem: sed virtus productiva, quam habet ignis tantum respicit entitatem intrinsecam caloris: ergo eadem est, & omnino eodem modo respicit effectum primò productum, & postea conservatum. Idem argumentum fit de actione. Productio & conservatio intrinsecè non differunt, sed ex eo quod modo incipiat esse terminus, quem recipit dicitur productio, & ex eo quod terminus immediatè antea præcesserit, etiam si actio modo incipiat dicitur conservatio: ergo eadem est virtus respectu productionis, & conservationis: ergo principium, à quo potest fluere productio potest esse principium conservationis. Ex eo enim quod terminus immediatè præcesserit non potest principium actuum fieri impotens, vt modò incipiat exercere actionem terminatam ad eum terminum quam exerceret si terminus immediatè antea non præcessisset.

9 Ex hoc infero ignem non tantum conservare calorem, quem primò produxit, sed etiam calorem productum ab alio igne, quem ipse possit primò producere etiam si præsens sit ignis alius, qui talè calorem primò produxit, quia si duplex ille ignis simul applicaretur ligno, uterque per modum vnius principij adequatè calorem illum produceret, & ab utroque procederet eadem individualis actio terminata ad calorem: ergo cum modo uterque ignis applicetur, eadem actio ab utroque procedet, quæ procederet si primò applicaretur, alterum enim fuisse tempore antecedenti applicatum respectu huius instantis perinde est, ac si nunquam fuisset. Potiori ratione ignis incipit conservare calorem, quem inuenit productum à Deo, quia Deus tantum conservat in defectum causæ secundæ, & idèd causa secunda adueniente hæc effectum conservabit, & non Deus. Secundo, quia ignis intendens à se mittere actionem terminatam ad calorem ex se non magis petit actionem, quæ modo ab illo incipit exire, terminari ad calorem qui modo incipiat, quàm ad calorem, qui immediatè fuit: ergo ex se non magis petit calorem producere, quam conservare, & aliàs calor ille præexistens petit conservari: ergo determinabit ignem ex se indifferentem ad conservandum, & ad producendum, & ad hos, vel illos gradus producendos, vt potius actionem exerceat circa illos, qui iam existunt, & conservatione indigent, quàm circa alios, qui nunquam fuerunt producti, & exigere non possunt suam productionem, eo modo, quo isti suam conservationem exposcunt. Neque contra hoc est quod tradidi Controu. 7. p. 7. n. 10. videlicet Deum non determinare principium effectuum ad nouam actionem effectus iam producti, quia hoc intelligendum est respectu actionum quæ simul existerent, non verò respectu illarum, quarum una, altera adueniente periret.

10 Obiic. Si applicentur duo calida vt quatuor, calor vt quatuor existens in hoc subiecto possit producere tres gradus caloris existentes in alio subiecto: ergo illos conservabit. Rursus alij quatuor gradus existentes in alio subiecto possent etiam producere tres gradus existentes in isto: ergo illos conservabit: ergo gradus caloris existentes in duplici subiecto mutuo conservabuntur. Respondet quatuor gradus caloris existentes in hoc subiecto potuisse producere gradus existentes in alio, si supponeretur existens, independenter ab illis: quod si non ita supponeretur, sed dependens illos producere non posset, & ita posse illos conservare si supponatur cum independentia, secus si dependens ab illis supponatur. Casu autem, quo calidum hoc conservaret tres gradus caloris existentes in alio, illi tres gradus caloris in illo instanti, in quo conservarentur non supponerentur independentes à quatuor gradibus existentibus in hoc subiecto, sed eū dependentia ab illis, ac proinde non possent tres illi gradus caloris conservari ab hoc calido vt quatuor conservare aliquem gradum caloris existentem in hoc subiecto. Ecce quomodo non mutuo conservarentur gradus existentes in duplici subiecto. Sed adhuc restat difficultas cuius subiecti gradus conservaret gradus existentes in alio, cum antecederet æquè bene possint quatuor gradus existentes in hoc subiecto conservare tres gradus ex quatuor, quos habet aliud subiectum

jectum, & quatuor existentes in alio subiecto conseruare tres ex quatuor, qui sunt in isto. Si gradus inæqualiter intensi constituerentur, facile dicerem remissiores conseruandos esse ab intensioribus: casu tamen, quo æquæ intensi, & eiusdem virtutis supponantur, existimo in actu primo hos gradus intendere conseruare existentes in alio subiecto, & eosdem intendi conseruari ab aliis, quæ duo coniungi non possunt, quia non potest dari mutua causalitas, ac proinde cum exigentia in actu primo æquales sint Deus determinabit potius hos, quàm illos ut alios conseruent, vel si non determinet, cum æquum sit vtriusque partis ius, neque ista cedet, neque vincetur illa, & ita mutuo impediuntur hæc duo calida, ita ut neutrum alterum conseruet.

11 Nota in opinione P. Lugo asserentis actionem non distinguui à duratione quem referam Contr. 16. non posse dici eandem numero actionem posse dici modò primam productionem, & postea conseruationem, quia secundum hanc sententiam non potest actio existere in duplici instanti, non tamen inferitur ex hac sententia conseruationem, & primam productionem intrinsecè distinguui, quia iuxta principia huius auctoris rectè dicitur eandem actionem, quæ in hoc instanti prima productio dicitur, potuisse dici conseruationem, si immediatè antea non præcessisset alia actio terminata ad eundem terminum, & similiter rectè dicitur, actionem, quæ in hoc instanti conseruatio dicitur potuisse antecedenter in eodem instanti dici primam productionem: ex eo præcisè quod non præcessisset alia actio eundem terminum respiciens.

12 Nota similiter productionem, & conseruationem non distinguui ex eo quod modo incipiat actio, sed ex eo, quod incipiat terminus, quem respicit actio, quia postquam ignis produxit calorem in hoc instanti, etiam si incipiat in sequenti alia actio De determinata ad eundem ignem, conseruatio dicitur & non prima productio: requiritur ergo ad rationem productionis ut distinctæ à conseruatione terminum incipere, & consequenter incipere actionem, quia non potest modo incipere terminus, si actio immediatè antea præcessisset, cum in illo instanti potuerit esse actio sine termino. Ad rationem conseruationis ut distinctæ à prima productione sufficit terminum præcessisse, etiam si incipiat actio: quod si actio præcessit, necessariò cum illa præcessit terminus, & ita non poterit non esse termini conseruatio ut distincta à prima productione.

13 Obiicies non distinguui effectus, qui dependent in conseruari à suis causis, ab illis, qui dicuntur hanc dependentiam non habere cum omnes à suis causis conseruentur, dum hæ sunt applicatæ, & omnes possint coleruari à causa prima deficientibus causis secundis. Respondeo maximam intercedere inter vtroque differentiam, quia effectus qui dicuntur dependere ab illis, ita dependent, ut causis deficientibus, etiam si Deus possit illos miraculosè conseruare, naturaliter tamen non conseruantur à Deo, quia illi non exposcunt conseruationem illam, quam Deus potest illis præstare, propriis causis absentibus, effectus verò, qui dicuntur non dependere in conseruari à suis causis etiam si de facto ab illis conseruentur dum sunt applicatæ, ita conseruantur ut his causis deficientibus, non solum poterint supernaturaliter conseruari à Deo, sed ipsi hanc exigunt conseruationem; quam Deus præstare tenetur si velit attendere ad exigentiam ipsorum & iuxta illa munus auctoris naturæ adimplere.

## PUNCTUM V.

## De reproductione.

1 EX eiusdem principiis quibus naturam conseruationis explicauimus possibilitas reproductionis examinanda est. Doctores disputant an possit naturaliter an supernaturaliter dari reproductio. Procedit difficultas de reproductione permanentium & specialiter de reproductione successiuorum, dicam de omnibus. Circa reproductionis quidditatem inter doctores nullam inuenio diffensionem: definiti potest: *Actio terminata ad effectum, qui tempore mediato existit.* Cæterum dupliciter potest contingere reproductio effectus eiusdem. Primò per actiones distinctas terminatas ad eundem effectum: secundò per repetitionem eiusdem actionis, quæ tempore mediata præ-

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I.

cessit, vtrumque reproductionis modum explicabo.

Qui sentiunt accidentia indiuiduari à subiecto repugnante defendunt adhuc successiuè non posse duo accidentia eiusdem speciei in eodem recipi subiecto. Ex quo inferunt semper reproducere in eodem subiecto idem numero accidens, quod antea perierat. Huius doctrinæ fundamentum omnino à veritate est alienum, indiuiduatio enim cuiusvis entitatis formaliter, & intrinsecè ab ipsa desumitur, extrinsecè verò, & causaliter non potest in accidentibus à materia desumi, eadem enim indifferens est ad recipienda accidentia non solum numero, sed etiam specie differentia. Ex diuerso principio eandem doctrinam de reproductione Scotus est amplexus apud P. Soar. disput. 5. Metaphys. sect. 9. num. 1. asserit enim eandem causas eodem modo applicatas semper eundem producere effectum. Ex quo inferit idem accidens toties reproducendum, quoties eadem causa, à quibus primò fuit productum eodem modo applicentur. Ratio hæc facilem solutionem habet in cuiusvis sententiæ doctrina, qui enim asserunt causam determinari ad indiuiduationem à circumstantiis, dicent his variatis eandem causam diuersum producere effectum, & cum circumstantia temporis diuersa sit, effectus diuersus necessariò contingit. Qui tenent Deum determinare causas ad hoc indiuiduum potius quàm illud producendum, dicent ratione diuersæ determinationis eandem causam diuersum producere effectum, eadem enim causa diuerso modo determinata diuersum effectum producit, eundem produclura, si eodem modo determinaretur. Durand. Metaphys. & alij apud P. Soar. tom. 2. part. 3. disp. 44. sect. 1. tenent non posse idem accidens iterum reproducere adhuc de potentia Dei absoluta, quia eadem non potest iterum repeti, & ubi intercedit noua actio, nouum etiam terminum intercedere oportet. Sententia hæc non bene audit apud omnes & omni fundamento est destituta, falsum enim est non posse diuina intercedente potentia eandem repeti actionem, quod etsi verum esset, non probaret, quia idem terminus plures actiones potest terminare ut patet in effectibus, qui producuntur à causis secundis, & conseruantur tantum à Deo, quod fieri nequit nisi per diuersas actiones, quarum vna sit productio dependens à Deo, & à creatura, & alia sit conseruatio dependens tantum à Deo, quia actio, quæ modò dependet ab his principiis, per se ipsam dependet, & non potest eademmet in aliquo tempore existens ab illorum aliquo non dependere.

Qui dicebant causas determinari quoad indiuiduationem effectus dicunt naturaliter non posse reproducere hunc effectum, quia temporis diuersitas ad diuersos effectus producendos determinat. Impugnaui Controuersia 10. adscribentes extrinsecis circumstantiis effectum indiuiduationem, quo fundamento euerso, alia in hac re querenda via est. Sed adhuc illo stante neutiquam hanc tutam esse censeo. Do circumstantias determinare effectum indiuiduationem, ex quo inferitur in hoc tempore non posse produci effectum huius speciei ab isto numero distinctum, non tamen inferitur hunc numero non posse in hoc vel in illo tempore produci, quia etiam si effectus ex se indifferentiam habeat ut in diuersis temporibus possit produci, dum tempus idem indifferens non sit, ut in illo diuersi effectus producantur optimè indiuiduatio effectuum his circumstantiis adscribitur. Deinde effectum hanc habere indifferentiam sic probo. Hic effectus productus in hoc instanti ( loquor de permanentibus ) conseruatur per integram horam ab eadem causa ex vi eiusdem actionis: ergo actio, quæ modò incipit existit in fine horæ; ergo in hoc ultimo instanti ( transeo ad finem horæ ) posset existere, etiam si in præcedentibus non extitisset. Probo consequentiam: actioni secundum se non repugnat existentia in hoc instanti, quia supponimus illam habere, & habuisse in præcedentibus, præcessisse, vel non præcessisse nihil potest physicè conducere ad existentiam actionis in hoc instanti ultimo horæ: ergo sicuti existit in hoc instanti, quando in antecedentibus præcessit, posset in eodem existere, etiam si in nullo præcessisset: ergo sicuti incipit in primo instanti horæ cuius modo est vltimum terminatum instans, potuit incipere in hoc instanti: ergo ratione temporis indifferens est ut incipiat esse in hoc vel in illo instanti: ergo ex hoc capite adhuc in ordine ad causas naturales non est repugnantia in reproductione eiusdem effectus.

A 2 3

Sus